

mandata nostra toties repetita exequi tenebatur. Loca item Kecskemeth, Körös et Kürth in quibus ista praedonum faex sepius morabatur atque cum incolis notitiam et communionem, eamque tanto tempore colebat, hanc ob rationem a culpa immunia censi haud possent, quod si iudices debitae suae vigilantiae incubissent, tamdiu latitare totiesfatos praedones nunquam successisset, unde vix non aliae adhuc ad eorundem inculpationem tendentes consequentiae praesumi possent.

Quam ob rem omnibus mododictis de causis praecipue autem ex consideratione neglecti erga benignissimum mandatum nostrum obsequii, illegalis procedendi norma praedonibus notoriae, si non admissi saltem non sat impediti receptaculi et restitutionis toties mentionato comiti. Marsigli cum damno nimio, tamdiu retrotentae, delegata haec inquisitio votum et opinionem suam juribus communibus et articulis etiam regni conformem sequenti modo pronunciavit, ut praeprimis dicti comitis Marsigli pro semet, cubiculario suo et occiso coco ut supradictum, ad 5033 florenos ascendens praetensio, siquidem in certa mobilium taxa subversatur in totum inclusa mortui coqui viduae orphanorumque praetensione ad quatuor mille et quingentis florenis limitetur istiusque summae solutio in tres partes dividatur, ita quidem, ut pars una praenotato vicecomiti, Francisco Sötér, altera universo huic comitatu Pestiensí, tertia autem locis Körös, Kecskemeth et Kürth solvenda et refundenda imponatur, ea tamen modalitate, ut tertia haec tribus mododictis locis injuncta pars, rursus in sex partes subdividatur, earumque tres Körösiensibus, duae Kecskemethiensibus et sexta Kürthensibus, quem quippe pagum ultra Tybiscum, in hocce comitatu Hevesiensi situm, admodum egenum et a praedonum incursu se tueri saepius non valentem esse constat, pendendae veniant, id quoque ambolus locis Körös et Kecskemeth prosit, et tanquam in solitum computetur ac per comitatum conferatur, quod ab eius incolis huius facti participibus, titulo homagii iam antea exactum fuit, coeteroquin autem cum trinnale iam tempus a facti huius contingentia elapsum, supradicti quodammodo rei comperti, diuturno carcere detenti, intra hoc tempus etiam exempla varia sint statuta et in dies etiam nunc fiant, aliae insuper complures considerationes in mitiorem partem accedant, quod ad corporis poenam ac supplicium attinet, id hac vice universim remittatur et condonetur.

Cum itaque maiestas nostra ad factam superinde demissam consilii nostri aulae bellici expositionem votique mododicti confirmationem benigne compererimus, opiniomen hanc deputati ad istam inquisitionem Marsiglianam, memorati comitis a Schlik coeterorumque assessorum legitimo iuris fondamento nixam, omniaque eatenus observanda iusto ordine observata esse; ea quae propter eandem clementissime approbatam executioni quantocyus mancipandam esse, benigne simul ac firmiter resolverimus, quo magis pro tranquillitate publica conservanda, exempla statuuntur et comitatus exinde cognoscant enormia eiusmodi delicta,